

fas est, nequaquam sunt alieni. Testatur Johannes Apostolus, ea ipsa quæ devitare nequeamus, peccata quotidiana pœnitentia & confessione quasi eluenda esse, 1. Joh. I, 9. Hi igitur & re vera conversi esse & pœnitentia tamen opus habere intelliguntur. Quæ ideo & pœnitentia stantium in gratia vulgo appellatur. Quos preces ad DEUM pro suimet conversione à peccatis infirmitatis fundere posse dubio omnino caret. Manetque id tantum ambiguum: an, qui plane non sunt conversi & peccatis voluntariis immergi, precibus compellare DEUM possint, ut convertantur?

V. Negari non potest, horum ipsorum, qui conversi non sunt, grandem nihilominus esse differentiam. Quidam enim erroribus, peccatis, sceleribus ita immergi & occœcati sunt, ut verosimile non sit, vel unquam vel rarissime certe eos emendationis suæ & salutis cura tangi. De iis, qui in Spiritum S. peccarunt, pronunciat Epistola ad Hebræos c. VI, 4. *impossibile esse, eos renovari ad pœnitentiam.* Hi itaque quomodo peccati sui pœnitentia duci & ut eandem in se efficiat, preces ad DEUM fundere possunt? Quamquam vero non desint ex nostrarum partium Theologis, iis etiam, qui in hac ipsa Academia haud ita pridem docuerunt, qui per allegatum Apostoli dictum, non impossibilitatem reditus ad gratiam, sed difficultatem tantum, exemplo locutionis, Matth. XIX, 24. usurpatæ, innui existimant, dubitandum tamen non est, in hoc peccandi genere omnium rarissime contingere posse, ut vel cogitationem ullam animo de sui conversione concipiant, nedum ut preces pro ea ad DEUM effundant. Memini, me aliquando in D. Speneri vel Consiliis vel scriptis aliis legere, cognitum sibi fuisse hominem, professione atheum, qui in execrabili hoc impietatis flagitio ita animum obduraverit, ut apud ipsum aliquando fuerit testatus, optare se sæpius, ut vel cogitationem aliquam de DEI existentia vel concipere vel admittere posset. ut vel hinc variis casibus medicinam vel solatium opponeret. Uxorem quoque suam liberosque ad agnitionem existentia DEI cultumque adducere, quantum in se est, saltem ut hæc persuasio aliquam ipsis in adversis levationem adferat, quam minus tamen ipse credat, ac Æsopi fabulas. Vix naturam hominis tam perfide exui posse tibi persuaseris. Ut vero dubium forte quibusdam esse possit, annon apud hos etiam sensus aliquis Divinitatis nonnunquam exurgat, quod plurimorum atheorum

A 2

exempla,